

quodam, cui intestinum ita dissectum erat in quo vulneris intestini  
extremitas abdominis labiis se applicuit & concrevit, sic ut tenui-  
ora excrementa hic perpetuo excernerentur, ad quæ recipi-  
enda vasculum ex ferro albo perpetuo alligatum gestabat, unde factum,  
ut nullas amplius fæces per anum excerneret, sic vitæ  
periculum effugit.

THES. XVIII.

Diæta horum ægrorum sit ut aliorum graviter vulnerato-  
rum, parcissima nempe, & constet ex paucis jusculis, carni-  
um, gallinarum, hordei, vel avenæ, ne ventriculum nimis onerent,  
qui repletionem sua intestina subjecta comprimeret & magis  
versus vulnus pelleret, imo intestina ipsa, si tam sæpe & copio-  
se implerentur, consolidationem non solum sui, ob auctum ma-  
gis motum peristalticum, sed & muscutorum abdominis, ob con-  
tinuam pressionem impedirent: Parcissima igitur diæta non so-  
lum mala secutura præcavebit, sed & curam multum promove-  
bit. Cavendum etiam ab omni cibo crasso, aromatico & cale-  
faciente. Potus non sit spirituosus ut sp. vini, vinum, vel cere-  
visia generosior, sed blandus admodum & aqueus, ne febris vul-  
neraria a nimio æstu inducatur; pro potu ordinario igitur vel  
pulsana vel decocto hordei vel sequenti decocto vulnerario uti  
potest,

℞. Rad. Chin. Consol. Maj. aa. ℥ss.

liquirit. polypod. aa. ℥ij.

Herb. veron. consol. sarac. Vinc. per vinc. virg. aur. Hordei

avenæ mund. aa. Mj.

Coq. in s. q. ▽ simpl. per dimidiam horam, in fine coctionis  
add. Sem. anis.

foenic. aa. ℥ij.

Colat. ℞. ℥vi. add. ▽ Cinam. hordeat ℥ij

Syrup. de symph. Fernel. ℥iij.

M. de hoc pro lubitu sæpe sed parce bibat.

Caveat